

ak. 239

10

X 38 32676



AD
AMPLISSIMUM DOCTISSIMUMQUE
VIRUM

CHRISTIANUM
CLODIUM

A. M. et Sch. Zvick. Rect. Opt. Mer.

&c. &c.

COLLEGAM SUAVISSIMUM
CUM

QUOSDAM NOBILISSIMORUM DISCIPULORUM
HINC IN ACADEMIAM ABEUNTUM
AMITTERET AC DIMITTERET

PROBLEMA

JOANNIS GOTTLIEB SCHMIDII

A. M. & Schol. ejusd. Coll. III.

SNEEBERGAE

Typis CHRISTIANI HENRICI KANNGIESSERI.

M DCC LI.





* * * * *



Choerilus,* aeternum Parnassi dedecus
istud,
Vates insipidus, fugitivae plebis amicus,
Despectique gregis blennorum futilis
vltor,
Ac effrons hominum nequam dux atque patronus,
Cum praeter versus vix quidquam pangere posset
Insulsos, linguae nullius prorsus et artis,
Ut satis est, gnarus, nec mente expellere segnus
Inscitiam cupiens, verum exemplaria prisca.

Noctur-

* Vid. si lubet, Horat. Epist. II. l. 233. A. P. 357. et quae u-
trouique obseruarunt interpretes.

Nocturna versare manu, versare diurna
Detrectans, quin illa timens cane peius et angue.
Hinc morum veterum sane miserabilis hospes,
Hospes et illorum, quae libris cuique legendis
Numine de summo, de mundo, menteque nostra
Exposuere sopheri, nec, quae sunt gesta per orbem
Rite sciens, quid? quod linguae vulgaria nondum
Mente tenens certo praecepta, et pessima fundens
Carmina, quae quanquam extolli, seclique poetam
(Scilicet) interdum celebrari se, ipse iubebat,
Semper erant ieiuna, absurda, molesta, nec unquam
Nexus iis sensusque, nisi sapientior ipsi
Multis materiam cum quis praescriberet omnem.
Quae nemo prudens caperet, praeclara putabat,
Et iactabat iis se, quae obseruanda monebat
Saepae alius doctor, cum idiota refelleret ante.
Scripti cuiuscunque, quod emisisse sodalem
Quendam compererat, censor temerarius, hoc dum
Non intelligeret, contra mirator inepte,
Iudex laudaret cum iustus, pluraque doctus.
Ridiculumque magis nihil unquam (vera doceris)
Cernere forte fuit, quam sicubi sermo saporis
Vulgo non noti casu incidit vnus et alter:

Continuo hic homines ad vites lignaue flexit,
(Doctrina armatus tantum in conuiuia venit.)
Iam reliquas quis non miratur amabilis huius,
Quod laudo, capitis virtutes? Stultus eorum,
Quae se spectabant, cantator, cuncta reuoluens,
A se quae plus quam decies audiuerat idem.
Subdolos atque uaser, sociorum in damna suorum
Praeripiens animos aliorum falsa loquendo.
Confusus, varius, leuiter sua munera curans,
(Quamuis, quanta gerat, nugax memoraret vbiuis.)
// Oppidula asiduo visens pagosque gulosus,
// In turba rudium clarus, viniue dapumque
// Sæctator cupidus, numorum callidus auceps,
Sordidus hic, illic rem profundebat inani
Sumtu, multorumque haerebat semper in aere.
Inuidus, iracundus, vbi quos forte videbat
Caedere sermones, suspectans omnia dici
De se. (Angebat enim male mens sibi conscia vatem,
Nec nisi, cum reliquis fieret mortalibus aegre,
Gaudia ceperunt mentem completa malignam,
Prosperitate dolentem aliorum, more canino)
Fortis et inuictus, si non metuenda pericla/
Vndique ~~si~~ munitus erat, tum quemque laceffi,

Tum

Tum illos vexari, qui non contra ire valebant,
Spectares. At cum, qui vi vim opponeret, esset,
Tunc animo frangi, mutescere, abire solebat
Turbatus, moerens, abiectus feruus eorum,
Quos foedis paulo ante probris sputauerat ipse;
Choerilus hic (melius nomen cui Garrulus esset,
Annua cuiusdam noti solennia vici
Ruricolae, genio queis indulgere receptum,
Audierat celebrare. Quid ergo figere posset
Parnassi hunc bellum civem, Phoebique ministrum
Eximium, ut pro more suo non vaderet illuc,
Laetitiaeque, sibi quam tum fecere coloni,
Acceptus fieret socius? Succingitur ergo,
Euolat, atque, quibus commissabatur honesta
Natio, tecta petit subitus, turbamque salutat.
Consilii illa suum auctorem, rectique statorem
Excipit ingenti clamore, et gaudia monstrat.
Ipse sedet, poscitque statim (sic sueuerat olim)
Quae iucunda solent in primis esse palatio.
Dantur, quae cordi sunt, hac sub lege, nihil quam
Versus (nam poterat) lepidos loqueretur ut ipsis.
Tum circa sese populum discumbere mandat,
Os aperitque suum lutulentum, et stans pede in vno

):(3

Plus

Plus quam bis centum perparuo dictat, vt ille,
Tempore versiculos, Stupet omnis turba, virumque
Laudibus ad caelum tollit, cyathosque ministrat.
Quo magis hic calescit, reliquos cogitque venire,
(Quod sua praeceptor conferta theatra volebat.)
Adueniunt. Verum et casu venit ille sophista
Insignis, sapidusque Theon, * vir dignus amari,
Qui, quamuis posset, tamen aegre carmina scripsit,
Cum vere coleret Phoebum, nec laedere vellet
Versibus, vt multi, ficcis, et saepe, venustum
Quantum operis carmen deposceret, arte peritus
His, quibus id curae, scriptis monstraret et ore.
Sed tum ad sacratam tendebat Apollinis arcem,
Consulturus ibi numen de rebus opertis,
Diuertique istic tempus ratioque iubebant,
Musice vbi fere tunc viuebat Choerilus, illum.

Paga.

* Cuius extant progymnasmata Graeca, a Ioach. Camerario,
ac Dan. Heinsio latinitate donata. Vid. Ven. Ioecherum
in Lexico, in primisque B. Fabricium in biblioth. Gr. IV,
31. 14. pag. 451. Fuerunt adhuc alii huius nominis philo-
sophi et mathematici, quos cognoscere est l. l. modo e. e.
Nostrum quidem, non ignoramus, diu post Alexandri M.
atque adeo Choerili aetatem vixisse. Sed liceat sic boni
Virgillii quoad Aeneam atque Dido errorem imitari, et
cum Horatio A. P. praeceptore dicere: Piëtoribus atque
poëtis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Pagani, quoniam vir nunc accesserat vnus
Doctus adhuc, festum bis credunt esse futurum
Laetius, hortanturque suam quoque panderet artem.
At silet, et prope sedem coetumque relinquit
Festiuum, pergens montem, quo coepit, ad illum.
Opprobriis, (quidni?) insipidum, culeumque, Bagamque
Insectantur ii. Sed adhuc qui doctus eorum
In numero fuerat, nunc summe doctus habetur
Choerilus inter eos, ac tandem credidit ipse.
Interea ad sacram Phoebi peruenerat aulam
Optimus ille Theon. Admittitur, atque, peractis,
Propter quas aderat, rebus, venit ecce minister,
Nuncia de festo, quo scurrans esset, agresti
Choerilus, apportans. Quae cum pius aduena firmat,
Quaeque oculis praefens modo viderat, edit, et addit,
Quam sic musarum chorus infametur aperte,
Laesaque maiestas sit sancti et gloria Phoebi,
Mox iubet Aonides accedere praefes Apollo,
Pluribus exponens, quam teter Choerilus esset
Moribus, atque Theon hic contra quantus honesti,
Quantus doctrinae cultor. Totus chorus orat,
Vellet Parnasso tandem detrudere vappam,
(Crimina plura etenim longe commiserat olim)

Inque

Culeus, Pylani, Codex - Sat.

ha 5450 OK

Inque locum istius dignum retinere Sophistam.
Oratum factum. Qui non multum ante reuertit,
Obque id adhuc madidus, somno et, vinoque beatus
Protrahitur, totique aliquas ostenditur horas
Spectandus populo, et virgarum verbera passus,
Cum damno famae Phoebeo colle mouetur.
Praestans vero Theon manet, aeternumque manebit,
Musis propitiis ipsi, Phoeboque patrono.
Iste diu terras posthaec, multumque peragrans,
Denique (nam cesso, TE, vir iam presse, morari)
Regis Alexandri Magni (quis crederet?) aulam
Improbis irrepit, qua primo tempore linguax,
Incautos animos, et multorum occupat aures,
Paulatim tamen ediscunt glaucomata, mores,
Stultitiamque viri. Colaphum tunc accipit vnum
Vnoquoque malo pro versu. Saepius id cum
Accideret, ruris, seclique poeta peribat.

Horum exemplorum quod commendabile dices
His, qui Pierii nunc pergunt montis ad vndas?
Audio, nunc tandem TE respondere: Theonis.



ak. 239

10

X 38 32676



AD
AMPLISSIMUM DOCTISSIMUMQUE
VIRUM

CHRISTIANUM CLODIUM

A. M. et Sch. Zvvick. Rect.

&c. &c.

COLLEGAM SUAVISSI
CUM

QUOSDAM NOBILISSIMORUM DIS
HINC IN ACADEMIAM ABEU
AMITTERET AC DIMITTERE

PROBLEMA

JOANNIS GOTTLIEB S

A. M. & Schol. ejusd. Coll. I

SNEEBERGAE

Typis CHRISTIANI HENRICI KANN

M DCC LI.

